

CASUS II. Pollutio, quæ in somno accidit, estne peccatum?

g. Denuo ad hanc quæstionem respondet S. Thomas in 4. dist. 9 q. un. art. 4. quæstione. 1. C. inquires: *Omne peccatum secundum Augustinum est in voluntate; motus autem voluntatis præsupponit iudicium rationis, eo quod est apparentis boni vel vere vel false: unde, ubi non potest esse iudicium rationis, non potest esse voluntatis motus; in somnis autem iudicium rationis impeditur. . . Et ideo neque motus appetitivus partis est liber: Et propter hoc non potest aliquis peccare in somno, neque mereri.* Ex quibus patet, pollutionem secundum se consideratam, quæ dormientibus accidit, non esse peccatum. Pontas.

NOTA. Id verum est, nisi quia earum pollutionum, quæ in somno fiunt, in vigilia causam dederit, v. g. absque necessitate aspiciendo, cogitando, iegendo, vel loquendo obscena.

CASUS III. Pollutio, quæ incipit in somno, finitur autem in vigilia, estne peccatum mortale?

g. Juxta S. Thomam in 4. dist. 9. q. un. art. 4. quæstione. 1. ad 5. hoc in casu pollutio secundum se considerata non est peccatum mortale. Sed evigilans non solum potest peccare venialiter, quando scilicet non positive resistendo carnis delectationi ex quadam complacentia quasi ex subreptione consensum præbet, sed & mortaliter, si plena adit deliberatio. Pontas.

Vide *Communio sacramentalis. cas. 2. Ecclesia. cas. 15.*

## POSSESSIO.

1. Vox hæc, *Possessio*, sumitur tam circa res profanas quam circa materiam Beneficialem. Dum sermo est de rebus profanis, possessio est *detentio rei, quam dominus, vel qui cum fundamento dominum se reputat, per se vel per alium possidet.* Unde & Polmanus ait: *Possessio est actus, jusve detentionis rei.* Dicitur 1. *detentio*, quæ fundatur in jure proprietatis vero vel præsumptive tali; & hinc usurpator vel fur non sunt veri possessores. Non autem necessarium est, ut possessor rem possessam ipsis oculis præsentem habeat, aut manu teneat; cum per solam intentionem possessionem conservare possit: *Licet possessio nudo animo acquiri non possit, inquit L. Licet. 4. Cod. Lib. 7. Tit. 32. tamen solo animo retineri potest.* Sic recte quis dicitur possessor animalium, quæ in agris ac pratis custodienda curat, vel quæ sine custode ad assuetu-

cepta-

ceptacula ultro redeunt. ut columbæ in suum columbarium, & apes sua repetere alvearia consueverunt. *Quidam recte putant, ait L. Possideri. 3. §. 16. ff. Lib. 41. Tit. 2. columbas quoque, quæ ab ædificiis nostris volant, item apes, quæ ex alveis nostris evolant, Et secundum consuetudinem redeunt, a nobis possideri.* Dicitur 2. *Detentio rei*, scilicet vel corporalis, ut est ager, domus &c. vel incorporalis, ut est servitus, Beneficium, jus exercendi jurisdictionem, jus molendini, furni, jus vectigalium &c. vel alterius rei seu mobilis seu immobilis. Dicitur 3. *Quam Dominus, vel qui cum fundamento dominum se reputat*; quia, licet possessio taliter coherereat cum proprietate, ut inde separari non debeat, una tamen esse potest sine altera: quando enim duo litigant de proprietate ejusdem rei, & unus solus est in possessione, fieri potest, ut possessor illius non habeat proprietatem, ut possessione deiciatur, vel ultro cedat, vel in favorem veri proprietarii judicialiter ad id compellatur. Hinc *L. Permisceri. 52. ff. Lib. 41. Tit. 2.* dicitur: *Possessio Et proprietatis misceri non debent.* Additur denique 4. *Quam dominus per se vel per alium possidet*, quia pupillus & minoris possunt possidere mediante tutore & curatore; & quævis alia persona potest exercere possessionem per procuratorem, depositarium, vel locatarium &c.

2. Qui acquirit proprietatem rei, simul ejusdem acquirit possessionem, vel jus eam acquirendi, aut forte amissam recuperandi. Detentio realis sola operatur possessionem realem & actualem eorum, quæ habentur titulo emptionis, donationis, permutationis &c. Sic qui acquisivit proprietatem rei per emptionem, donationem &c. ejusdem possessor non fit nisi per actualem traditionem; quæ si negetur, recurrendum est ad autoritatem judicis, non enim licet arripere possessionem violenter & via facti.

3. Dantur plures res, quarum possessio acquiritur per traditionem solum tacitam, vel per simplicem declarationem aut cessionem proprietarii absque alia formalitate: id autem intelligendum est de re certa ac determinata; quia, ut dicit *L. Possideri. 3. l. c. incertam partem rei possideri nemo potest.*

4. Ut quis fiat possessor legitimus, requiritur 1. causa, 2. intentio possidendi rem jure proprietatis; sine hac intentione non datur vera possessio: & hinc licet tanquam proprietarius possideam agrum, in quo fodina argenti aut thesaurus latet absconditus, non censeor possidere fodinam vel thesaurum, utpote mihi incognitum; sed hæc intentio solum afficit possorem

H 5

forem

forem bonæ fidei. 3. requiritur detentio rei in sensu supra explicato.

5. Possessionem arripere, vel eadem abdicare quis se potest vel per se ipsum, vel per procuratorem.

6. Primarius possessionis effectus est, quod tribuat possessori jus de re possessa tanquam de propria disponendi; cum proprietas sit inseparabilis a iusta possessione: immo possessio in pluribus casibus producit proprietatem, sicut in præscriptione, per quam possessor bonæ fidei actu fit dominus fructuum fundi possessi, & ipsius etiam fundi, quem pacifice possedit per tempus a lege constitutum juxta regulam juris 136. ff. *Bona fides tantundem possidenti præstat, quantum veritas, quoties lex impedimento non est.* Et certe homines non nisi per possessionem cæperunt esse domini rerum.

7. Possessio rei mobilis amittitur 1. per traditionem actualem. 2. Dum deponitur animus ac intentio possidenti rem, eaque primo occupanti relinquatur, aut alia ratione ea dimittitur. 3. Quando alius pacifice & nemine contradicente per annum integrum rem possedit, salvo tamen jure obtinendæ restitutionis.

8. Possessio in re Beneficiaria sumitur pro installatione seu institutione Beneficiati, consistitque in ceremoniis in jure canonico præscriptis, aut communiter in ecclesia usitatis, dum quis in Beneficio suo instituitur.

9. Dividitur hæc possessio in *annalem & triennemalem*. Triennialis cuius Beneficiato est instar tituli, dummodo fundetur in aliquo titulo, saltem colorato. Verum qui Beneficium obtinuit per simoniam voluntariam, intrusionem, vel in manifesta inhabilitate, frustra se tuestur trienniali, immo multo etiam longioris temporis possessione. Dicitur: *per simoniam voluntariam*; si enim ea a parentibus, a consanguineo aut ab amico secreto fuisset commissa, incio Beneficiato, auctores quidam tuentur, possessionem bonæ fidei ac triennemalem esse instar tituli; quod tamen sufficienter non videtur probatum.

10. Aditio possessionis valide fit sive in propria persona, sive per procuratorem, authentica tamen procuracione instructum.

11. Beneficiatus non potest frui redditibus Beneficii, nisi post adeptam in virtute provisionum & litterarum expeditionum possessionem.

12. Possessio circa res profanas dividitur in possessionem *juris & facti*, in possessionem *bonæ & malæ fidei*, in *justam &*

*& injustam*, in possessionem ex titulo *colorato & non colorato*, & denique in possessionem *naturalem & civilem*.

13. Possessio *juris* est *jus insistendi rei tanquam suæ non prohibita possideri*. Dicitur: *rei tanquam suæ*, id est, quæ possessoris propria est, & ad eum pertinet; ex quo sequitur, tutorem non esse verum possessorem bonorum pupilli sui, sed pupillum, qui ea per tutorem possidet, ut supra jam observatum est. Additur: *non prohibita possideri*, id est, rei, cujus possessio cuiquam a jure non interdicitur; sic laicus a jure possidere prohibetur Beneficium, ecclesiam aut cæmeterium.

14. Possessio *facti* est *occupatio rei adminiculo corporis, animi & juris*. Dicitur 1. *occupatio*, quod idem est, ac rei actualis occupatio prima, vel continuata. Dicitur 2. *adminiculo corporis*; quia, dum quis possidere rem incipit, quodammodo necesse est, ut ea fiat corporaliter. Dicitur 3. *animi*; quia ad continuandam possessionem requiritur intentio retinendi possessionem; unde depositarius non censetur verus possessor rei depositæ, cum ipsius intentio non sit possidendi rem ut suam. Idem dicendum de eo, qui rem possidet titulo precarii. Additur denique 4. *& juris*, vi cujus scilicet stabilitur veritas possessionis, sive dein ejusmodi lex, qua fundatur possessio, iusta sit sive injusta.

15. Possessio *bonæ fidei* est *occupatio rei fundata in prudenti judicio*, dum scilicet possessio rei aditur & continuatur ex ratione, quæ possessori videtur iusta; *malæ fidei* autem possessor est, qui nec ipse rationem possidendi credit esse legitimam. Possessio *iusta* fundatur in titulo *legitimo*; *colorata* autem non nisi in titulo *verisimili*. Possessio *naturalis* est *occupatio rei adminiculo corporis & animi*, & *civilis* adminiculo *soliis animi*. Appellatur *civilis*; quia fundatur in jure civili, & parit effectus mere civiles. Possessio *naturalis* communiter respicit dominium utile rei possessæ, & *civilis* dominium directum.

16. Possessio immemorialis non indiget titulo; quia semper præsumitur, eam ex legitimo titulo inchoatam & continuatam fuisse. Quando possessor per integrum annum fuit in pacifica possessione rei, postmodum vero ab alio in possessione turbatur, datur illi actio *de jam adepta & modo turbata possessione*, quæ fere coincidit cum celebratissimo juris Romani interdicto. Unde vi. Effectus hujus actionis est, quod iudex securam illi præstet possessionem usque ad finem litis, etiam contra verum proprietarium.

17. Possessor boni temporalis non tenetur in foro civili docere ac probare titulum suæ possessionis; & si super hac ipsi moveretur controversia, admitteretur ad probationem per testes. Secus si res habet in possessore Beneficii: huc enim non potest asseri possessio absque titulo, & aliis qualitatibus ad possidendum requisitis.

18. Possessio bonæ fidei producit legitimam præscriptionem post lapsum temporis a legibus vel consuetudine determinati.

19. Dejectus ex possessione per violentiam desinit quidem esse possessor rei de facto, conceditur tamen ipsi annus & dies ad intentandam actionem pro restitutione in integrum; & hæc actio locum habet etiam contra ipsum proprietarium, licet promittat, probaturum se in continenti jus proprietatis, quod præten dit: si enim audiri velit, necesse est, ut violenter dejectum prius in statum pristinum restituat.

CASUS I. Victor jam a sexennio possidet Prioratum vi tituli, qui re ipsa nullus est ob simoniam ex ignorantia commissam, quod non ita pridem ipsi innotuit; vel cujus nullitas ex alio quodam defectu provenit. Num triennalis pacifica possessio ipsum securum reddit in conscientia?

3. Triennalis, vel etiam diuturnior possessio juxta tutiorem sententiam securitatem conscientie præstare non potest, si vitiositas tituli ex simonia etiam involuntaria provenit: regula enim possessionis triennalis, quæ originem suam trahit ex Concilio Basileensi, & per concordata confirmata est, excludit expresse & generaliter absque ulla exceptione omnes, qui Beneficia sua medio simoniaco impetrarunt: & in hoc particulari casu innocens luit pœnam nocentis, idque ex hac ratione; quia alias simonia nimis frequenter committeretur, ut advertit Glossa in Cap. *Ex insinuatione*. 26. Lib. 5. Tit. 3. Ex quo sequitur, necessario a Victore dimittendum esse Prioratum, nec illum retineri posse, nisi de novo a legitimo Superiore provideatur, id est, ab Ordinario, si ignorantia ipsius de simonia fuit inculpabilis ac invincibilis; quo in casu necesse non est, ut Romam recurratur, neque id requiratur, dum quis omnino non est particeps commissæ simoniæ, nec eam ullo modo approbavit. Verum si Victor scienter concurrisset, aut ignorantia illius fuisset culpabilis, teneretur adire Papam, qui solus valide potest novam illi provisionem concedere. Hinc Victori, cujus titulus plane nullus est, nullatenus ad retinendum Prioratum suffragatur triennalis possessio. Si vero titulus ipsius non ob simoniam aut intrusionem, sed ex alio capite sit nullus, triennalis

lis

lis possessio, & a fortiori adhuc longior, sanat, quidquid fuit vitiosum in ipsius provisionibus. *Pontas. Vide Simonia. Caf. 38.*

NOTA. Hæc nullitas solum procedit pro foro externo, in quo præsumitur ignorantia crassa, aut saltem vincibilis.

CASUS II. Polychronius illegitimo toro natus possidet Beneficium pacifice a tribus & amplius annis ex titulo colorato, provisus in Curia Romana per obitum. Poteritne se tueri jure possessionis triennalis, si a quopiam in sua possessione turbetur?

3. Juxta Garciam de Benef. part. 7. c. 3. n. 88. regula de triennali possessione non potest spurium purgare a vitio ipsi congenito. Ratio hujus responsionis a sacra Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini interpretum firmatæ est; quia titulus nequit censeri coloratus, ubi datur actualis inhabilitas in eo, qui de Beneficio fuit provisus, nec interea per dispensationem legitimam fuit habilitatus ad illud possidendum. Unde sequitur, quod, cum sola Polychronii provisio nulla sit, quia illegitimus est inhabilis ad Beneficium, illa nequeat esse loco tituli colorati, sine quo possessio triennalis inutilis est. *Non firmatur tractu temporis*, inquit Bonifacius VIII. regula juris 18. & 64. in 6. *quod de jure ab initio non subsistit. Et: Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi. Accedit, quod Polychronius aliunde sit possessor malæ fidei; cum sciret, aut saltem scire debuisset, illegitimos esse incapaces ad possidenda Beneficia, & ad ea sine dispensatione Pontificia promoveri haud posse. Pontas.*

CASUS III. Georgius Religiosus professus in Curia obtinuit Prioratum sæcularem, eundemque pacifice tenuit ultra triennium. Ludovicus certior factus, Beneficium hoc esse sæculare, provisionem sibi procuravit ab Ordinario, penes quem jus conferendi erat, litemque super possessione Georgii movit. Poteritne hoc facere in conscientia? Et Georgius poteritne absque injuria tueri jus suum?

3. Ludovicus potest citra omnem injuriam impugnare possessionem Georgii, qui nullum omnino jus habet ad hunc Prioratum, utpote sæcularem, possessio enim quantumvis diuturna non immutat statum ac naturam Beneficii. *Non juvatur*, inquit Cabassutius L. 2. c. 20. n. 14. *hoc privilegio regularis Clericus, qui sæculare Beneficium triennio pacifice possedit: illa namque triennii possessio non potest statum & incompatibilitatem mutare Beneficii. Item dicendum de Clerico sæculari, qui ad Beneficium regulari promotus fuisset, nisi, ut*

Boat-

Bonifacius VIII. Cap. *Cum de Beneficio*. 5. Lib. 3. Tit. 4. observat, status Beneficii fuerit mutatus per legitimam præscriptionem, quæ debet esse quadraginta annorum. Generaliter tenendum notum illud: *Regularia regularibus, & secularia secularibus.* Pontas.

NOTA. Ab hac regula excipiendi sunt Canonici regulares, utpote capaces Beneficiorum secularium. Vide *Beneficium*. Cal. 15.

CASUS IV. Uranius provivus Canonicatu in ecclesia quadam cathedrali pro adipiscenda possessione presentavit se Capitulo; fuit autem ipsi declaratum, prius solvendam esse pro Sacrificia summam 100. florenorum, idque vi peculiaris statuti olim a Capitulo conditi. Conqueritur Uranius de injusta hujuscemodi impositione, negatque Capitulum potestatem eandem imperandi & obtrudendi invitis; persolvit tamen, & sic tandem missus in possessionem & installatus fuit. An Uranius commisit simoniam, sive dein Canonici hanc summam impendant in bonum Sacrificiæ, sive in proprium lucrum convertant? An absque simonia Capitulum hoc statutum condere potuit? Num Uranius, cum invitus ac gemens solverit, obligare potest Capitulum ad restituendam summam?

3. Si Uranius dictam summam solvit in privatam utilitatem Canonicorum, sciens, hos non ex alio fine illam exigere, quam ut inter se postea partirentur, veram commisit simoniam, ipse non minus quam Canonici. Nulla autem intervenit simonia, si petita summa fuit destinata in utilitatem & necessitatem ecclesiæ; & in hunc finem Capitulum ejusmodi statutum condere potuit; nec Uranius in hoc casu restitutionem petere potest. Concilium Tridentinum Sess. 24. de reform. c. 14. ubi omnem remunerationem in favorem Canonicorum condemnat, hæc habet: *Hæc cum sancta Synodus detestetur, mandat Episcopis, ut quæcumque hujusmodi in usus pios non convertuntur, atque ingressus eos, qui simoniacæ labis aut sordidæ avaritiæ suspicionem habent, fieri non permittant; ipsique diligenter de eorum constitutionibus, sive consuetudinibus super prædictis cognoscant, & illis tantum, quas ut laudabiles probaverint, exceptis, reliquas ut pravas ac scandalosas rejiciant & aboleant.* Pontas.

CASUS V. Genebaldus optima fruens valetudine resignavit in Curia Romana præbendam suam Juvenali, qui videns, Genebaldum repente in periculosum morbum incidisse, possessionem Beneficii arripuit sine prævia installatione, nec petita, ut mos fert, a Capitulo receptione in fratrem. Paucis post diebus convalescit Genebaldus, eique ex mera animi gene-

generositate Juvenalis permittit pristinam possessionem ac fructuionem sui Beneficii, adeo ut etiam combufferit provisione sua, & instrumentum captæ a se possessionis. Et in hoc statu integrum præterfluit biennium. Potestne Genebaldus absque conscientiæ scrupulo ulterius frui hoc Canonicatu, quin opus sit solemnî cessione Juvenalis in favorem ipsius? Potestne Episcopus reintrodere Genebaldum in Beneficium verbaliter solum & absque ulla alia formalitate ad solam declarationem Juvenalis testatis, se eundem restituere in omnia jura, quæ ad Beneficium vel in Beneficio habuerat. Opusne est denique, ut Genebaldus Roma obtineat condonationem fructuum durante hoc biennio perceptorum?

3. Si aditio possessionis a Juvenale facta vere fuit canonica, Genebaldus non potuit secunda conscientia frui Canonicatu a se resignato, quem non nisi per intrusionem possedit per hoc biennium; nec etiam potuit de novo provideri ab Episcopo, nisi prævie fuerit rehabilitatus: in quo casu necessarium foret, ut a Pontifice impetret condonationem fructuum hactenus perceptorum & necdum consumptorum, maxime si redditus Beneficii essent valde notabiles ac pingues. Verum si aditio possessionis ex parte Juvenalis ponatur esse invalida, ut in præsentî casu est, potest Genebaldus sine scrupulo continuare possessionem Canonicatus, ejusdemque fructus percipere absque alia nova formalitate. *Aquiritur possessio juris canonicalis*, inquit Rebuffus prax. Benefic. de miss. in possess. n. 36. Pontas.

CASUS VI. Guibertus parochus gravi morbo decumbens resignavit pure ac simpliciter suum Beneficium Felici nepoti suo: hic haud dubitans, illud sibi a collatore concedendum, transmittit ad fratrem suum Joannem non solum resignationem, sed & procurationem, ut Beneficii collationem promoveat, & ad expediendum citius negotium ocyus nomine suo possessionem capiat, quamprimum de obtentis provisionibus ac Visa edoctus fuerit. Hæc omnia Joannes perficit, ac possessionem capit nomine fratris sui. An etiam valide?

3. Procuratio ad effectum possessionis in Beneficio capiendæ debet esse posterior die concessarum provisionum. Adeoque Joannes nulliter ac invalide possessionem Beneficii adit nomine fratris. Pontas.

CASUS VII. Sabinianus, qui absque titulo, bona tamen fide, possidet fundum aut aliud quidpiam, turbatur in possessione ab alio. Estne defendendus contra turbatorem, qui æque omni destitutus est titulo?

§. Cum leges supponant, possessorem bonæ fidei esse verum proprietarium rei, quam possidet, Sabinianus in possessione fundi manutenendus est, usque dum superveniens turbator ex titulo probaverit, se esse solum ac verum dominum rei. Verum aliud dicendum foret, si res controversa foret extra commercium humanum posita, ut sunt bona Beneficii ecclesiastici: in hoc namque casu, qui possideret Beneficium sine justo titulo, in sua possessione manuteneri non deberet. Hinc jus possessorum circa Beneficia non ex sola possessione metiendum est, sed ex titulo canonice obtento; & casu quo plures producant titulum, decidendum est in favorem illius, cujus titulus verosimiliter est magis legitimus. *Pontas.*

CASUS VIII. Sylvius succedens in bona defuncti patris inter fundos jure hæreditario ad se devolutos reperit aliquod jugerum vineæ a patre suo bona fide possessum, sed re ipsa ad Lucium pertinens jure proprietatis. Pergit Sylvius eadem bona fide illud possidere per solidum triennium; quo elapso evincitur a Lucio, qui lite finita petit etiam restitutionem fructuum intra triennium hoc perceptorum. Teneturne Sylvius eos restituere?

§. Est certum juris principium, quod possessor bonæ fidei dominium aquirat fructuum omnium ex rebus a se bona fide possessis quomodocumque provenientium, ut habetur *L. Bonæ fidei. 48. ff. Lib. 41. Tit. 1.* Adeoque Sylvius non tenetur ad restitutionem fructuum ex jugero vineæ perceptorum usque ad diem, quo possessio per postulationem judicalem Lucii interrupta, & sententia fuit prolata. *Pontas.*

## PRÆCEPTA ECCLESIAE.

Indubitatum est, a Christo potestatem Ecclesiae fuisse datam leges ferendi, quibus omnes fideles non minus obligentur, ac si ab ipso Christo latae fuissent: & sane omnia præcepta Ecclesiae sunt meræ determinationes præceptorum divinatorum.

CASUS I. Daturne gravis obligatio servandi præcepta Ecclesiae?

§. Præcepta Ecclesiae, utpote fundata in præceptis divinis, obligant sub peccato mortali, peccatque mortaliter, qui ea sine sufficiente causa excusante transgreditur. Possunt tamen barbatores, pistores, molitores, alique opifices in quibusdam casibus vacare laboribus suis. Imo possunt

sunt Episcopi nimium festorum de præcepto numerum minuire, aut, si necessitas exigat, populo permittere, ut quibusdam diebus festis, quos retinendos duxerint, audito Sacro labori incumbat. *De Lamet.*

## PRÆDA HOSTILIS.

Tempore belli quidam privati, Principis tamen auctoritate firmati, naves instruunt, easque in hostium naves immittunt, & quibuscumque potiti fuerint, in portum invehunt, ac prædam inter se partiuntur, licet quandoque excedat omnes expensas in construendam navim a se factas.

CASUS. Naves publica Principis auctoritate in hostes armatae possuntne in bello justo in hostium naves irruere, easdem capere, & earum spolia sibi attribuere?

§. Licite possunt: in his enim circumstantiis prædas ex hostibus agere non est contra charitatem, quidquid demum ipsis auferatur; nec tanquam furto ablata consideranda sunt, quæ hostibus eripiuntur. *L. Si quid 28. ff. Lib. 49. Tit. 15. Si quid bello captum est, in præda est, non postliminio redit. Fromageau.*

## PRÆFECTUS COLLEGII.

1. *Præfectus collegii* dicitur, qui tanquam caput præest collegio, cujusque est exacte invigilare vitæ ac moribus eorum, qui sunt de collegio, ita ut penes ipsum sit cura de omnibus, quæ ad studia & pietatem pertinent.

2. Materia hæc, in quantum personam Præfecti respicit, est satis sterilis quoad doctrinam moralem. Quidquid de ipso dici potest, huc redit, ut pro viribus satisfaciat obligationibus officii sui.

3. Licet officium ipsius consistat in nuda administratione, non est tamen comparabile pretio pecuniario, cum extra omne commercium sit positum, sicut & officia Professorum, quæ a Præfecto collegii gratis debent conferri, sicut & ipse gratis in collegium fuit admittus.

CASUS I. Viget in quibusdam collegiis generalis consuetudo, ut eorundem Scholares, etiam actu Beneficium habeant, nec habitu, nec coma a reliquis laicis distincti incendant. Pamphilus ejusmodi collegii Præfectus compellere cogitat omnes studiosos suos ad deferendum habitum & tonsuram clericalem, repugnantibus licet omnibus viribus studiosorum consanguineis. Teneturne in conscientia exequi propositum

positum suum, quamvis id cessurum sit in præjudicium collegii?

R. Cum Concilia & Pontifices sanciverint, ut omnes Beneficiati cujuscumque demum ætatis tonsuram & habitum clericalem deferant, tenetur Collegiarcha in conscientia urge-re observantiam saluberrimarum harum constitutionum; etiam si prævideat, plures studiosos ex collegio eapropter fore revocandos a consanguineis: hæc enim ratio non excusaret Præfectum ab obligatione sua. *Pontas.*

CASUS II. Ignatius artibus cujusdam amici sui, quem mediante summa quingentorum florenorum patronum sibi conciliaverat, collegiarchatum quemdam adeptus est; cum-que muneri huic jus annexum sit nominandi ad stipendia in collegio vacantiã, a quolibet novo stipendiario exigit honorarium quinquaginta florenorum propriæ indemnisationis præ-textu. Potestne id fieri absque peccato?

R. Cum Ignatius nec potuerit nec debuerit sibi adipisci collegiarchatum pretio pecuniario, ita nec potest nec debet exigere quidpiam a novis stipendiariis. Hæc & similia longe debent abesse ab omni commercio: certum enim est, quod fundatores horum stipendiorum intenderint, ut ea conferantur gratis; nec ea fundata sunt nisi pro studiosis pauperibus, a quibus sane iniquum est exigere pecunias pro illorum con-secutione. *Pontas.*

### PRÆMONSTRATENSES.

I. Religiosi *Præmonstratenses* sunt Canonici Regulares, nomen suum sortiti ab Abbacia, quæ est caput totius Ordinis, in Picardia sita, & a S. Norberto anno 1119. instituta. Mox ab exordio alios non habebant redditus, quam quos ex cæsu-ra arborum in saltu Cordiacensi percipiabant; at vero brevi tempore ad amplissimas pervenerunt divitias. Superstite S. Norberto monasteria utriusque sexui erant communia; verum anno 1137. Moniales in alia translata fuerunt domicilia. In Gallia quidem his temporibus non amplius existunt hujus Or-dinis Moniales; at in Germania sunt plures conventus, & quædam Abbatissæ principali fulgent dignitate; nec desunt in Hispania ejusmodi Moniales, quæ tamen Vicario generali hujus circariæ subjectæ sunt. Anno 1460. toti Ordini ex di-spensacione Pii Papæ II. abstinentia ab esu carniū fuit relaxata. Circaria Hispaniæ specialem constituit Congregationem, ejusve Vicarii Generalis, qui nunquam potest ad munus abba-tiale assumi, potestas est amplissima, nihilque inferior pote-  
state

state Generalis Ordinis, nisi ipsemet in Hispania sit præsens. In Lotharingia alia floret Congregatio proximo superiore sæ-culo exorta, in qua observantur primævæ consuetudines & disciplina Præmonstratensis. Vicarius Generalis, qui quovis triennio eligitur, totius Congregationis Superior est ac iudex immediatus.

2. Anno 1621. quibusdam Patribus, qui reformationem Ordinis in Lotharingiam invexerant, data est a Rege potestas eandem introducendi in omnia monasteria totius Galliæ ad primævum Ordinis rigorem aspirantia. Qui reformationem hanc amplexi sunt, servarunt sibi domos suas unacum jure possidendi parochias. At vero parochis excutere jugum sui Generalis ac pro suo ipsorum arbitratu vivere volentibus in-gentes controversiæ ac dissensionis exortæ sunt. Libertas eo-rum eo usque devenit, ut Parisios aut in alias urbes venientes divertere detrectarent ad collegia Ordinis sui, sed in hospitiiis ac publicis diversoriis degerent. Hinc Generalis contra hunc similesque abusus statutum condidit sub interminatione suspen-sionis, excommunicationis ac etiam incarcerationis in eos, qui ordinationi huic obedire noluerint.

CASUS. Abbas Præmonstratensis, generalis Superior Or-dinis, semperne habet potestatem ac jurisdictionem in suos Religiosos, ex quo parochias obtinuerunt? Quousque ex-tendit se hæc ejus potestas? Quibusnam pœnis potest ani-madvertere in eos, qui officio suo defuerint?

R. Abbas generalis perpetuo conservat jurisdictionem a-liquam in suos Religiosos, etiam ad parochias expositos; quia ut parochi non cessant esse Religiosi. Ad hæc & ipsi immediate vel saltem mediate concurrerunt ad electionem ip-sius, ac insuper statuta, ad quorum observantiam se se obli-garunt, eos subiciunt Superiori non tantum generali, sed etiam Superioribus particularibus monasteriorum, a quibus dependent parochiæ ipsorum regulares. Omnes Bullæ Pon-tificiæ præcipiunt Religiosis, ut agnoscant jurisdictionem sui Superioris regularis; & hæc disciplina est ubique recepta. Alexander III. statuit, ut parochus regularis, sola Sacramen-torum administratione excepta, circa reliqua omnia rationem reddat Superiori suo regulari, præsertim vero circa observa-tionem regulæ, & dispensationem reddituum parochiæ, etiam quoad temporalia incorporatæ monasterio. Supponitur ergo ejusmodi parochus semper esse Religiosus, semperque obli-gatus ad implenda officia Religiosi. Et si proin teneatur ratio-nem reddere Episcopo quoad administrationem Sacramento-rum, & morum honestatem, Superior ipsius non propterea  
I a .  
exclu-